


Shenat ha-yovel Sive Dissertatio Philologico-Antiqvaria, De Anno Jobheleo Ebræorum, Ex Levit. Cap. XXV.

[Regiomonti]: Litteris Reusnerianis, [1744?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861927915>

Druck Freier  Zugang





90

49. dg.

Fa 1092 (90.)

Handwritten text on the right edge of the page, including numbers and letters, possibly serving as a table of contents or index. Visible fragments include: "hu", "6A", "11", "10", "12", "13", "14", "15", "16", "17", "18", "19", "20", "21", "22", "23", "24", "25", "26", "27", "28", "29", "30", "31", "32", "33", "34", "35", "36", "37", "38", "39", "40", "41", "42", "43", "44", "45", "46", "47", "48", "49", "50", "51", "52", "53", "54", "55", "56", "57", "58", "59", "60", "61", "62", "63", "64", "65", "66", "67", "68", "69", "70", "71", "72", "73", "74", "75", "76", "77", "78", "79", "80", "81", "82", "83", "84", "85", "86", "87", "88", "89", "90", "91", "92", "93", "94", "95", "96", "97", "98", "99", "100".

9

bus

o

d

ge

s

abo

D

ai


lo

z

ru

af

8



1. Jo. Bernh. Kuhn ^{mefforia} introductio generalis in Pentateuchum Mo,
Jud. Regum. 1737.
2. Jo. Deuschnander de Spiritu Sancto hospite pentecostali Heinrichus
in Paradiso Gen 1. 11. III. reatata nobisque tradita Witeb 1692
3. Jo. And. Mich. Nagelii Observationes in Gen 1, 2. Hel 1742
4. Math. Killerus de opere secundi diei ad Gen 1, 6. 7. 8. Tubing 1720
5. Carp. Löfcheri consilium DEI circa hominis creationem. ad
Gen 1. 26. 1697 rec. Witeb 1704.
6. Christo. Math. Plaffius de prima et benedictione et lege divina:
creata et multiplicata ad Gen 1, 28. Tubing 1720. 1742.
7. Dem de hexameri Mofici opere die septimo absoluto, huiusque
sanctificatione ad Gen 1. 2 Tubing 1742.
8. Jo. Herm. Bennerus de tentatione in Paradiso Gees 1745
9. Christo. Simoth. Sidalius de primo primorum hominum peccato
Kellust 1743
10. And. Hellmannus de duplici vestitu primorum hominum ad
Gen III, 7. 21. Götterb. 1744.
11. Jac. Wilk. Seuclinus de Adamo, e sola illa arbore adepturo cogno-
tionem boni et mali ad Gen. III, 22. Götting 1743.
12. Jo. Guil. Hick de cherubim Paradisi ad Gen III, 24. Witeb 1720.
13. Carp. Jac. Muth de fide matris pietati in virum pe-
ccatum ad Gen IV, 1. Erl 1740.
14. Jo. Friedr. Zittl unum Entwurf quod ad Gradulum ibero
ad Gen III, 1. Jen. 1749.
15. Nicol. Pancius de colloquio Caini Witeb 1694.
16. Jo. Christo. Orllobius de signo Caini ad Gen IV, 15. Hel
17. Jo. Cyprianus ¹⁷¹¹ de propagando evangelio ad Gen IV, 26. Leip 1747.

18. Nic. Guil. Schröderus de prima uetus publici diuini institutione.
Narp. 1745.
19. Aug. Pfeifferus de Henoch ad Gen. 1. 22. 23. 24. Witeb 1690 (Kos.)
20. Jo. Henr. a Seelen examen hypothesis de diluuiis aenigmaticis
Hoff 1725
21. Jo. Rud. Pfänder de sensu uerborum Gen. 11. 5. coll. 1. 2. 21.
Tubing. 1719
22. Henr. Jac. Lefius de poenitentia DEO adserta ad Gen. 11. 6.
Griphiswald 1747.
23. Georg. Harsdörfer Beschreibung eines in die Gegend von dem Rharubau
zu Wabul und der Daniel in die Gegend von Wabul
gehört worden. Laub. 1742.
24. Matth. Hillerus de antiquissima gigantum gente eorumque
sedibus ad Gen. 14. 6. Tubing 1701.
25. Jo. Val. Stegmayer de Abrahami peregrinatione cum femine
sua. Gen. 1714.
26. Georg. Friedr. Niekamp de tribus uiris Abrahamo appa-
rentibus ad Gen. 18. 1. Hoff 1707. Duphon 1711
27. Jo. Rud. Kieseling de diuinis Abrahami hospitibus ad Gen.
18. 1. 2. 3. Lips 1720
28. Jo. Saubertus de statua falis et Loti ex Sodoma
egressu. Helluff 1660.
29. Christ. Friedr. Bauer de Domini ad Abrahamum iuramento
ad Gen. 22. 16. Luc. 1. 54. 55. 69-75 et Hebr 11. 19
Witeb 1746
30. Jo. Henr. a Seelen de Abrahamo et Jacobo Patriarchis
uocatis ad Gen. 22. 1. - 19. XXXV 19. 20. Leb. 1711.
31. Aug. Pfeifferus de Theraphim fideolis Laban ad Gen. xxxi.
Witeb 1663
32. Theod. Christ. Delienthalius de gloria Angeli federis cum Jacobo
colluctantis ad Gen. xxxii. 24. Leb. et Hof. XII. A. Regiom. 1711.

- ad Gen. xxxvi. 2. 3. 4. Lips 1744.
35. Gen. Henr. Jöcher de quibusdam num. Pharaos opera Josephi ad veram
cultum perductus fuerit. Lub. 1712.
36. Aug. Tobias de Josepho Josephi divinatorio ad Gen. xlv. 5. Ferg. 1724.
37. Georg. Dau. Kypke de integritate Cap. xlv. Genes. contra Schuckfordi
Lub. 1714.
38. Christo. Henr. Zeibichius de sepultura in terra sancta a Josepho ad
Josepho patriarchis viribus appetita ad Gen. xlviii. 29. 30. 31.
xlix. 29. 30. 31. 32. L. 5. 24. 25. Hebr. xl. 21. 22. Willeb. 1744.
39. Jo. Christi. Einigh de manu dextra honoratione ad Gen. xlviii. 14.
Lips 1707.
40. Carl. Friedr. Zachariae de ritibus scholasticis Judaeorum ad Gen.
xlix. 10. Hilos 1745.
41. Theod. Kasius de Naphthalitide patria Apostolorum ad Gen. xlv.
H. Brem. 1724.
42. Jo. Friedr. Priskii notae in Josephi Torelli animadversiones
in Exodi Librum et lxx. graecam interpretationem. Lips 1746.
43. Friedr. Wich. Krafft de pietate obsequium qua dicitur domos
divinus effundente aedificasse Israelitis ad Exod. 1. 20. 21. Gen.
1714.
44. Christo. Aug. Heumannus de Pseudothamaturgo Pharaonis. 1744
rec. Jen. 1745.
45. Oeruh. von Sünden profus sanguinum ad Exod. 11. 15. 16.
Region 1713.
46. Jo. Silemann Scheck de altellis facris et profanis Mes.
1743.
47. Christo. Henr. Zeibichius de mysterio carnis asae in nocte
naphthatis prima concessae ad Exod. xii. 8. 9. Willeb. 1744.
48. Christi. Henr. Prömel de angelo exterminatore ad Exod.
xii. 29. et Ps. lxxviii. 49. Jen. 1685.
49. Christi. Salmans de transitu Israelitarum per mare rubrum
Gen. 1702.

per quod. sermo de angelo in quo nomen penoua ad 1^o Jo.
XXIII, 20. 21. 22. Gryphiswald. 1752.

51. Josias Henr. Opitius de candelabri profana admirabili structura ejusdemque positu in sancto. secundum Exod. XXVI, 31-20 et Num. VIII, 2-4. Lips. 1708.

52. Georg Adolph. Mehneras de ח' ע' 777 719 - 518 א' ע' 1777 א' ע' 1778
ad Exod. XXXVIII, 30. Lips. 1745.

53. Casp. Neumannus de gemmis Irim et Phumim ad Exod. XXVIII, 90.
et de uita Samaritanorum obscurae. ad 2 Reg. VI, 25. Lips. 1709.

54. Jo. a Haritz de oratione sacerdotum ad Exod. XXVIII, 41. Lips.
Pratau. 1692

55. Jonas Mahlia de Schirin ad Leuit. XVIII, 2 Chron. XI, 15. Lips.
XIII, 21. XXIV, 14. Götterb. 1744.

56. Josch. Lud. Knappke de fundamentis matrimonii inter com.
pugnans ad Leuit. XVIII, 11. Jostach. 1744.

57. Jo. Mich. Langius de nuptiis per jus naturae, divinum, caelest.
affinitate prohibitis. Altorf. 1709

58. Andr. Boberg de manipulo primitiarum uesperi ad Leuiticos. XXVIII
10. Lips. 1720.

59. Jo. Christ. Bueckius de anno hebraeorum jubilaeo ad Leuiticos. XXV.
Wittenb. 1700

60. Jo. Berth. Hahn de anno jubilaeo hebraeorum ad Leuiticos.
XXV. Wittenb. 1744.

61. Seplius poenitentialis ducatus magdeburgensis in uolis ex
Leu. XXVI, 29. 24 et 2 Cor. V. 20. 21. propofiti. Magd. 1705.

62. Georg Roebius de Corae, Sathais, Abirani et Ori de seorsu ad
inferos ad Num. XVII. Lips. 1607.

63. Christ. Kortholtus de uirga Aarons florida ad Numeros.
XVII. Nil 1674.


64. Christ. Gottl. Friedr. Wolff de libro recti et bellorum. ad
Num. XXI, 14. Jos. X, 10. 2 Sam. I, 10. Lips. 1742


65. Franco Woskenius de mercede diuinaria Wittenb. 1727

66. Christo. Sontagius de liquore Sibiria ad Num. XXV, 1.

21
Jo. Aud. Kestlingus de judaeis ad salutarem zelotypiam promou-
catis Lips 1726

68. Idem de judaeis explorari veritatis contra semetipsum teste
ad Deuterom. xxviii, 64 65. Lips 1740





שנה ה'י"ב
כ"ע

SIVE

DISSERTATIO PHILOLOGICO-ANTIQUARIA,
DE
ANNO JOBHELEO
EBRÆORUM,

EX LEVIT. CAP. XXV.

QUAM,

CEU PRÆLUDIUM, CELEBRANDI POST OCTIDUUM

JOBHELEI SECUNDI

REGIÆ HUIUS ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ,
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTUNT,

PRÆSES,

JOHANNES BERNHARDUS

שאנ,

PHIL. ET S. THEOL. DOCT. LINGVAR. ORIENTAL. PROF. OR-
DINAR., STIPENDIOR. CURAT., SENATUS ACADEM. ET FACULT.

PHIL. SENIOR, HUIUSQUE h. t. NONUM DECANUS,

ET

RESPONDENS FILIUS,

JOHANNES BERNHARDUS שאנ,

MAGISTERII CANDIDATUS,

DIE XX. AUGUST. BERNHARDO SACRA,
ANNO ACADEM. SECULARI MDCCXLIV.

IN AUDITORIO MAXIMO.

LITTERIS REUSNERIANIS.

ILLUSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO

ALBERTO ERNESTO
Comiti à **SCHLIEBEN**,

S. R. M. in Prussia Ministro Status & Belli
Intimo, Supremo Regni Cancellario, Summi
Appellationum Judiciii Præsidi, Rerumqve
Feudalium Directori,
Domino Terrarum Klingbeck &c. &c.

Nec non

PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,
DOMINO

WILHELMO LUDOVICO
à **GROEBEN**,

S. R. M. in Prussia Supremi Tribunalis Consi-
liario, Judiciii Aulici Vice-Præsidi, Consistorii
Sambiensis Præsidi, Collegii Ecclesiastici
& Pupillaris Directori,

Domino Terrarum Tharau, Carschau, Gelbs, &c. &c.

*Magnis Musarum Mæcenatibus,
Studiorumqve Promotoribus,*

Dissertationem hanc, cum voto omnis veræ
Felicitationis, humillime consecrat

RESPONDENS.



بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ

مقدمہ



deest jam Annus ille desideratissimus, adest
jam Mensis ille vere Augustus, imo, imminet
jam Dies ille multo auspiciatissimus, qui in
celeberrima hac, universa Prussica ditionis
Principe Civitate, novum Literarum Lumen
ante ducentos annos felicissime accendit.
Revocat simul nobis tempus hoc in memo-
riam tot beneficiorum cumulum, quibus non hujus saltem Ur-
bis pomoeria, neque soli tantum Prussici Regni fines, sed omnis
Christiana Universitas, memorabili plane & insigni felicitatis ac-
cessione adaucta fuit, amplissimeque exornata: dum glorio-
sissimae memoriae Princeps, ALBERTUS, (Albertum cum ap-
pello, Principem Ecclesiae & Reipublicae deditissimum, & verum
Patriae Patrem simul dico,) Primus Prussiae Dux, non tam suae
immortalitati, quam communi Ecclesiae, publicaeque rei emolu-
mentis consulens, amoenissimum quoddam Studiorum commer-
cium, quod ACADEMIAM appellamus, ante duo Secula hic
loci erigeret, eandemque Privilegiis dotaret egregiis. Quodsi
jam privatis quandoque hominibus, beneficiorum a Summo
Numine ipsis largissime collatorum, memoriam refricare solet
eorum Natalis, quidni Academia nostra, humanitatis illud &
elegantiae Sacrum, hocce suo Natali, quo ante ducentos an-
nos esse coepit, beneficia, non in unam vel alteram familiam
privatam, sed in communem societatem, cumulatissime caelitus
effusa, publicis celebraret laudum encomiis, omnesque suas
meditationes eo, ut Solennitas haec Secularis digne celebretur,
intenderet? Atque haec ipsa, de celebrando **JOBHELEO ACA-
DEMICO**

A

DEMICO

DEMICO, occupationes continuae, praesenti, de ANNO
EBRÆORUM JOBHELEO materiae, ansam dederunt: de quo
argumento, cum illud Virorum eruditorum operam jam occu-
paverit, nobisque Iliada post Homerum scribere animus non
sit, pauca quaedam, ratione ETYMOLOGIÆ, PRIVILE-
GIORUM, & TEMPORIS Celebrationis hujus anni, partim
ex Sacrae Scripturae, partim ex Rabbiorum Pandectis, in me-
dium affere, sicque JOBHELEO ACADEMICO, post aliquot
dies devote celebrando, praeludere quasi, constituimus. Faxit
DEUS Feliciter!

§. I.

JOBHELEI ANNI fundationem divinam reperimus Le-
vit. Cap. XXV. versibus 8. 9. 10. וְסִפְרָתָּ לָּךְ שִׁבְעַת שָׁבָתוֹת
שָׁנִים שִׁבְעַת שָׁנִים שִׁבְעַת פְּעָמִים וְהָיוּ לָּךְ יָמֵי שִׁבְעַת שָׁבָתוֹת
הַשָּׁנִים תִּשַׁע וָאַרְבָּעִים שָׁנָה: וְהֶעֱבַרְתָּ שׁוֹפָר תְּרוּעָה
בַּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי בַּעֲשׂוֹר לַחֹדֶשׁ בְּיוֹם הַכִּפּוּרִים תַּעֲבִירוּ
שׁוֹפָר בְּכָל־אַרְצְכֶם: וּמִדְּשֵׁתֶם אֶת שָׁנַת הַחֲמִשִּׁים
שָׁנָה וּמִרְאֵתֶם יָרוֹר בְּאַרְץ לְכָל־יִשְׂרָאֵל יוֹבֵל הִוא
לְכֶם: Et numerabis tibi septem septimanas annorum, septem
annos septem vicibus, ut sint tibi dies septem septimanarum, novem &
quadraginta anni. Et personare facies buccinam clangoris mense septi-
mo, decimo die mensis ejus, die expiationum personare facietis buccinam
in tota terra vestra. Et sanctificabitis annum quinquagesimum, &
proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus; JOBHE-
LEUS hic esto annus vobis. Quae verba satis clare docent, cele-
brationem hujus יוֹבֵל non cum ipso mundi exordio, neque
Noachi vel Abrahami, sed potius Mosis temporibus initium
sumpsisse. Patet insuper & hoc, derivationem vocis יוֹבֵל
tanquam in Palaestina natae, non aliam, quam Ebraeam agno-
scere posse originem, quamvis de eadem tot fere sint senten-
tiae, quot capita, & Etymologia ejusdem JO. HENR. HOT-
TINGERO in Analect. Histor. Theol. p. 141. videatur obscura
plane, perplexa & intricata.

§. II.

§. II.

Literarum earundem similitudo decepisse videtur eos, qui vocis hujus originem a **יובל** *Jubhale*, Lamechi filio, ArchiMusico illo & instrumentorum musicorum, Citharæ inprimis & Organi, inventore, arcessere non dubitarunt; quamvis in duabus his vocibus **יובל** & **יובל** idem Vocalium positus non deprehendatur. Nonnulli a *Jubilando* vocem hanc, inconsiderate plane, derivare ausi sunt, quasi vox Latina sit, non perpendentes, latinorum *Jubilare* potius ex Ebræo **יובל** deducendum esse. Alii asserunt, vocatum esse ideo hunc Annum *Quinquagesimum* **יובל** quod vox hæc in Numeris Ebræorum valeat *Quinquaginta*; cum tamen tyronibus Lingvæ Sanctæ notum sit, literas hujus vocis numerice saltem valere XLVIII.

§. III.

Communissima sententia est eorum, qui statuunt, Annum hunc appellatum fuisse **JOBHELEUM**, a voce **יובל** *Cornu Arietinum* significante, cum mediante tali instrumento fuerit promulgatus. Mirum vero est, sententiæ hujus defensores maximum & fere unicum suum præsidium in sola unius Rabbini autoritate fundasse: est is R. AKIBHA, filius Josephi, qui juxta R. DAV. GANZ in **צמח רוד** seu Chronol. Sac. Prof. p. 85. Seculo VIII. & IX. floruit. Hujus viri verba in Tract. Talmud. **ראש השנה** allegata, ab omnibus, quotquot de hac materia scripserunt, adducuntur, suntque sequentia: **לערכינה היו קורין לדכרנה יובלה והשופר עצמו יובל** *Cum iter facerem in Arabia, vocabant Arietem Jobhel, & Tuba ipsa vocabatur Jobhel, quia Arietina erat.* Hoc effatum R. AKIBHÆ unanimi fere consensu arriperunt Ebræi, statuendo, **יובל** notare *Arietem*, & per Synecdochen, *Cornu*, seu *Buccinam Arietinam*, Metaleptice tandem, ipsum **ANNUM JOBHELEUM**, cornu arietino promulgatum. Ita scribit R. SAL. BEN MELECH in **מכלל יופי** pag. כח ad verba **יובל הוינה: שנת החמשים נקרה כן לפי שהיו** *Annus Quinquagesimus vocatur ita, eo quod fuerunt clangentes in eo Buccina Arietina.* Simi-
liter

4
 liter R. DAV. KIMCHI in ספר שורשים Rad. ובל ait: כן
 שנת החמשים נקראת יובל לפי שהיו תוקעין בה בשופר
 שאל אינן; *Ita Annus Quinquagesimus annus vocatur Jobhel,*
propterea quod essent clangentes in eo buccina Arietina. Secuti sunt hanc
 sententiam ex Christianis non pauci: ipse magnus JOH. BUX-
 TORFIUS eandem amplexus est, quando in Lexico Talmud. Rab-
 bin. col. 928. ita scribit: *Annus Jubileus sic dictus, quod cornu*
 יובל *i. e. Arietis, inflato, promulgaretur.* Displicuit tamen hæc,
 a Clangore petita, appellandi ratio, ipsi R. MOS. BAR NACH-
 MAN, qui potius vocem דרור *Libertatem* urget, his verbis:
 למה נקראת יובל על התקיעה אלה על הדרור
 שאם הורה נקראת על שם התקיעה הורה ראו
 הכתוב לומר והעברת שופר תרועה בחדש השביעי בעשור
 לחדש יובל היתה אבל אמר וקראתם דרור בארץ
 לכה וושכורו יובל היתה; *Non dictum est Jobheleum a*
Clangore, sed a Libertate. Quodsi enim fuisset nominatum a Clangore,
fuisset conveniens scribi dicendo: Personare facies tubam clangoris in
mensē septimo, in decimo die mensis hujus, Jobheleum hoc est. Sed dixit
(Moses): Proclamatote Libertatem per terram omnibus ejus inhabi-
tatoribus, hoc est Jobheleum.

§. IV.

Cum vero alii difficultatem, sententiam hanc premen-
 tem, viderent, quod scilicet Cornua Arietina tota sint solida,
 sicque inflari non possint, de Excavatione seu Perforatione talium
 cornuum, fuerunt solliciti, mediante qua ad inflationem redde-
 rentur aptiora. Faciunt huc verba JOH. AVENARII, in
 Libr. Radic. seu Lexic. Ebr. p. 308. ita scribentis: יובל *Jubi-*
lum, Jubilat, est Sonitus & Clangor tubæ productior: יובל Annus
Jubileus, in quo PERFORABANT cornua, quæ edebant sonum pro-
fluentem. Alii tamen sententiam hanc, de יובל *Arietem* notante,
 cum infirmo plane nitatur fundamento, solo nempe R. AKI-
 BHÆ testimonio, Lexicorum vero Arabicorum autoritate desti-
 tuatur, deseruerunt, (putantes, hac ratione annum hunc potius
 dicendum fuisse *Annum Arietis,*) & vocem יובל *Clangorem* qui-
 dem,

dem, non vero præcise *Arietina*, sed cujuscunqve tubæ, etiam argenteæ, minime vero ipsum instrumentum, notare, statuerunt, quam in rem allegasse sufficiat verba JOH. FOERSTERI ex Dictionar. Ebr. p. 308. sequentia: **יִבְרָ** Productio, & sonitum seu clangorem significat productiorem tubæ, non ipsum instrumentum, & Fubilum vertere licebit, quo illa clangoris productio & intensio significetur: & post pauca: Quando hæc vox **יִבְרָ** absolute est posita, tunc pro ipso anno quinquagesimo sumitur, qui nomen habet a Fubilo buccina, sicut פֶּסַח etiam aliquoties pro ipso festo accipitur, quo transitus illius in ægypto per Angelum facti memoria celebratur. Sententiam hanc pro verisimillima habet JOH. LEUSDENIUS in Philol. Hebr. Mixt. Dissertat. XLI. p. 289. & JOH. HENR. HOTTINGERUS eandem approbat, ita judicans. Haud obscure patere arbitror, vocem **יִבְרָ** a sono peculiari dictam esse atque deductam, in Analect. Histor. Theol. Dissert. III. p. 153. Tanti vero eandem fecit D. JO. GOTTL. CARPZOVIVS, ut reliqvas, vel absurdas, vel improprias, & per ambages evolvendas explicationes, nominare non dubitaverit, in Comment. de Anno Jobel. Lips. 1730. edit. §. IV. p. 9. Neqve alienus ab hac sententia esse videtur D. JO. GEORG. ABICHT, quando in Disput. de Lapsu Muror. Hierichuntinor. Miraculosò. Lips. 1713. edit. §. V. p. 8. ex Versione Græca LXX. colligit, **יִבְרָ** Jobel proprie significare Educationem populi ex loco suo in alium, sicqve pergit: Gallice marche appellabis: deinde vox Jobel in specie denorat sonum tubæ, quo populus evocatur, uti apud Germanos den Marche blasen, ut ex loco suo egrediaitur, & ad clangentem se conferat.

§. V.

Recentissima, quantum nobis constat, est vocis hujus derivatio ex Arabismo petita, quam operose satis in se suscepit M. JO. ADAM. QVASIUS in Disput. Philol. de Vera vocis **יִבְרָ** Etymologia & significato, Lips. 1731. edit. Congessit Autor in hunc finem §. XII. p. 33. ex JAC. GOLII Lexico Arab. col. 2612. & seqv. varia Nomina Arabica, a radice **وَبَر** (cujus Tertia significatio est *Imbrem effudit, copiose & vehementer pluit cælum,*) descendencia, *Imbrem, Pluviam, Gravitationem aëris &c.*

denotantia, atque ostendere allaborat, quam belle conveniant hæc universæ textus historię. Verba ejus sũnt hæc: *Tremebat, & summo percussa metu existebat Judæorum Gens, cum DEO T. O. M. apparere volente Mose, undiquaque nubibus cœlum densissimis, & horrenda fulminum, igniumque agmina evomentibus obduceretur. Mandatum itaque sumebat Moses a DEO, retineri populum debere ab montis accessu, ne moriatur, libere autem, & absque omni periculo attingere montem rursus posse* **במשוך יורל** *in retrahere, quando retrahetur, dispelleturque gravitas aëris, imber, fulgur, abactis nempe, discussis, & aliorum versatis nubibus: wenn es heiter wird, und sich die dicken Wolken und Ungewitter verziehen. Quæ, annon ingeniosa magis, quam solida sint, judicent alii.*

§. VI,

Nostram quod attinet sententiam, non videmus, quid obstat, quo minus illis accedamus, quibus Radicem Ebraicam **יבל** pro fundamento derivationis vocis **יובל** assumere placuit, quam etiam in nupero Programme Invitatorio ad Promotionem MAGISTERIALEM, præ aliis elegimus. Significat hæc Radix in Conjugatione III. *Tulit, Obrulit, Apportavit, Adduxit, Reduxit;* quæ significationes Anno Quingagesimo, qui JOBHELEUS appellabatur, quam optime conveniebant, cum hic Anus attulerit varii generis bona, variisque gavissus fuerit Privilegiis & Beneficiis; unde etiam Etymologia hæc assensum non paucorum promeruit Criticorum. Equidem Cardinalis ROB. BELLARMINI testimonium RODOLPHO HOSPINIANO videtur suspectum. Quando enim ille Lib. I. de Indulgent. Cap. I. Tom. III. Disputation. p. m. 1489. scribit: *Dicitur Jubilans a יבל Fabal, germinare, producere, quasi annus germinans, utilis & fructuosus, hujus glossa, Lib. de Templ. pag. 379. est talis: Recte quidem hæc etymologia Bellarminiana Jubilæo Papistico competit; dicitur enim Jubilans juxta illam, quasi annus germinans, utilis & fructuosus, quia in eo Rom. Pontifices ex indulgentiarum nundinatione ingentes opes corradiunt & colligunt. Tuetur interim hanc Etymologiam STEPH. MORINUS in Exercitat. Bibl. ita scribens: Dictio illa Hebræa tota est, a Radice in Hiphil הובל Adduxit, Reduxit,*

7
xit, in scriptura admodum usitata, unde יבול *Jebul Proventus*. Inde
igitur *Annus Quinquagesimus* dictus est *Jubileus*, quod unicuique pro-
ventum hereditatis sua apponaret, & unumquemque in hereditatem
reduceret. Ex Rabbinorum choro unicum allegasse sufficiat R.
BECHAL, ita ad Cap. XXV. Levit. rem hanc explicantem: שבה

יובל כל האיש אל אחותו ואל משפחתו ועל כן
נקראות הפרות והתבואות גם כן יבול מלשון הבאה
גם המקומות העמוקים שבהם מים נקראין גם כן פלגים
וכלי מים כי שם יבאו המים והמעם מצורת היובל
על דרך הפשוט כי כל השורת חוזרת לבעליהם
ואפילו העבדים הנרצעים יצאו חפשיים כמועד היובל

Quæ verba, ex mente PAUL. SLEVOG-
TI, paulo liberius reddi possunt hoc modo: Sicut fructus &
reditus in hac lingua dicuntur *Jebbul, proventus*, & ita appellationem
habent a veniendo, loca etiam profunda, in quibus sunt
aqua, perinde ac rivi, vocantur *Jibble*, processus aquarum, quod
aqua ibi veniant: ita quoque annus hic est *Jobhel* dictus, quia
redire facit quemlibet ad possessionem suam & ad familiam
suam. Sensus igitur præcepti *Jobhel* est, si secundum literam
accipiamus, quod omnes agri redeant ad dominos suos, & ser-
vi, licet subula sint perforati, egrediantur liberi, constituto
tempore *Jobhel*; & hoc significat *JOBHEL*. Disputation. Aca-
dem. pag. 999.

§. VII.

Né vero Autoritati superstruere videamur sententiam
nostram, ipsa *JOBHELEI ANNI PRIVILEGIA* & Beneficia
lustrare operæ erit pretium, quibus DEUS Israëlitas frui voluit,
ut misericordiam suam singularem erga hunc populum ostende-
ret, curando, ne Familia & Tribus turbarentur, sed potius
conservarentur. Possunt vero Jura & Privilegia hujus Anni ad
Tria inprimis referri *Capita*, quæ in loco Sacr. Scripturæ pal-
mario, Levit. nempe Cap. XXV. ordine recensentur. *Primum*,
quod se nobis offert, *Privilegium*, reperitur vers. 10. & consistit

in

in RESTITUTIONE FUNDORUM, quando scilicet hi, si forte venditi fuerint, hoc tempore ad pristinos suos possessores redibant. Satis clare hoc innuunt verba ipsius Legislatoris seqv.

יֹכֵל הוּא תְּהִיָּה לָכֶם וְשָׁנָתָם אִישׁ אֶל-אֲחֵזְתּוֹ וְאִישׁ

יֹכֵל הוּא תְּהִיָּה לָכֶם וְשָׁנָתָם אִישׁ אֶל-אֲחֵזְתּוֹ וְאִישׁ
Jobheleus annus ille esto vobis, ut revertamini

quisque ad possessionem suam, & quisque ad familiam suam revertamini. Hoc enim observandum est, Emptionem & Venditionem

ratione Fundorum, apud Ebraeos, nonnisi summa urgente necessitate & premente paupertate simulque cum reservatione beneficii reuisionis, factam esse, ita, ut liceret venditori eos redimere, si vellet, & posset; vel, si ob paupertatem non posset, restitutio fundi in Anno Jobheleo gratis, sine omni interveniente pretio, fieret, id quod ex dispositione versus 23.

וְהָאָרֶץ לֹא תִמְכַּר לְצַמְתָּרָהּ כִּי-לִי הָאָרֶץ: Terra autem - ne

venditor lege mancipii, mea enim est illa terra: colligitur; cum Israëlitæ fuerint saltem Usufructuarii, seu Feudatarii, DEUS vero terræ Dominus, qui usumfructum saltem agrorum ad Jobheleum usque vendi voluit. Atque hujus beneficii tanta fuit amplitudo, ut hoc anno omnia, siue vendita, siue etiam dono data fuerint, si vel centies possessorem mutaverint, fuerint restituta sine pretio. Explicat hoc רמבם R. MOS. BEN MAIMON, ratione Venditionis, his verbis: מכר

שדהו לראשין זראשון מכרה לשני ושני לשלישי אפילו

מאה זה אחר זה בשנת הוכל תחזור לארון ראשון

שנאמר בשנת הוכל ישוב השדה לאשר קנהו מאתו

Esse, vendiderit quis fundum suum

primo, primus vendiderit secundo, secundus tercio, ut vel centies ab uno transferit ad alium; tamen eum annus Jobhel restituit primo domino, quia dicitur Levit. XXVII. 24. in anno Jobhel revertetur ager ad eum, a quo emerat ipsum, ad eum, cujus erat possessio terræ. Similiter ratione Donationis, illis: חוררת זו חוררת

הנותן שדהו מתנה הרני זו חוררת

Si quis fundum suum dono alicui dedit, is ad eum redit anno Jobhel, quia dictum est: revertatur quisque ad possessionem suam.

§. VIII.

Quo minus vero Emtio & Venditio talis, alterutri, sive Emptori, sive Venditori, fraudi esset, Annorum accurata est habita ratio, quibus Jobheleus instans adhuc aberat, & juxta æstimationem usus annorum illorum definitum fuit pretium, habita simul ratione Expensarum in fundum factarum. Testimonium Historici inter Judæos doctissimi & fide dignissimi, FLAV. JOSEPHI, hoc satis comprobat, ita in Antiquitat. Judaic. Libr. III. Cap. X. p. m. 84. scribentis: *Vocatur Hebraeis quinquagesimus quisque annus Jobelus, in quo Agri quoque ad pristinos dominos ex hac lege redeunt hunc in modum. Instante Jobelo, conveniunt venditor agri & emptor, computatisque fructibus ac expensis in agrum factis, si fructus majores fuisse comperiantur, recipit agrum venditor: quod si expensæ majores fuerint, hoc quod deest, recipiens emptor possessionem alteri cedit: sin utraque paria fuerint, possessio ad veteres dominos revertitur.* Res enim ita se habebat: Si quis decreverat, fundum suum redimere, numerabat annos, quibus fructum perceperat emptor, & prout plures vel pauciores supererant anni usque ad Jobheleum, plus minusve soluti pretii reddebat. Si tamen is, qui fundum quendam acquisiverat, eundem tempore possessionis suæ in meliorem redegerit statum, æquitas postulabat, ut in redemptione fundi, expensæ illæ, in meliorationem fundi sive agri erogata, a priore Domino, ad quem revertebatur, refunderentur: nam *ממכר חזור וליה השבח* Res vendita redit, sed non Melioratio, dicunt RABBINI. Posset denique hic agi de Differentia illa, quam statuunt Rabbini inter domos venditas, in urbe muro cincta sitas, & inter domos villares, seu sitas in urbibus mœnibus non cinctis; sed remittimus, brevitati studentes, lectorem hujus rei cupidum, ad D. JO. GOTTL. CARPZOVII Commentation. de Annō Jobelæo secund. Discipl. Hebræor. Lips. 1730. edit. §. XV. p. 42. item ad D. JOH. ADAM. OSLANDRI Commentar. in h. l. ubi varia ex *Abulensi* de hac materia protulit. pag. 238.

Progređimur ad *Secundum* Anni Jobhelei *Privilegium*,
 quod consistebat in plenaria CESSATIONE ab omni Agrorum
 cultura. Inculcatum hoc expessis reperimus verbis vers. 11. &
 12. hisce: **וְיָבֵל הוּא שְׁנַת הַחֲמִשִּׁים שְׁנַת תְּהוֹרָה**
לְכֶם לֹא תִזְרְעוּ וְלֹא תִקְצְרוּ אֶת־סִפְיֹחֵיהֶם וְלֹא תִכְצְרוּ
אֶת־נְיֹרֵיהֶם: כִּי וְיָבֵל הוּא קָדֵשׁ תְּהִיָּה לְכֶם מִדְּהַשְׂרֵדָה
Jobheleus hic est, annus Quinquagesimus
esto vobis, ne seminate, neque metite sponte nascentia ejus, neque vin-
demiante uvas intermissarum ejus. Quia Jobheleus est, sanctus esto vo-
bis; ex quovis agro comedetis proventum ejus. Circa quæ verba R.
 ABEN ESRA hæc notavit: **אָחַר שֶׁהָיָה שְׁנַת הַיּוֹבֵל לֹא תִזְרְעוּ:**
Eo quod est hic Annus Jobhel, ne seminatote. Ea vero, quæ privile-
gio hocce otii & quietis gaudere debebant, versu 4. expressa
habentur שָׂדֶךְ לֹא תִזְרַע וְכַרְמְךָ לֹא תִזְמַר: Agrum tuum ne
seminato, & vineam tuam ne putato. Importasse itaque omnimo-
dam Agrorum, Pratorum, Vinearum, Hortorumque, ex quibus
fructus aliquis percipi poterat, quietem, recte colligitur, ita ut,
quoad hanc legem, de Agriculturæ cessatione, convenientia
deprehendatur inter Annum quemvis Septimum sive SABBA-
THICUM, & Quinquagesimum, sive JOBHELEUM, observante
id MAIMONIDE loc. cit. his verbis: רִין הַיּוֹבֵל בְּשִׁבְתַּת הָאָרֶץ:
וְרִין הַשְּׂמִטָּה אַחַר הוּא לְכֹל דָּבָר כֹּל שֶׁאִסּוּר בְּשִׁבְעִירַת
מַעֲבֹדַת הָאָרֶץ אִסּוּר בְּשְׁנַת הַיּוֹבֵל וְכֹל שֶׁמִּתֵּר בְּשִׁבְעִירַת
מִתֵּר בְּיּוֹבֵל: Ratio Jobhelei quoad Quietem terra, eadem plane
est, quæ Anni Sabbathici. Quicquid prohibitum est Anno Septimo de
Agricultura, id pariter prohibitum est in Anno Jobheleo: & quicquid
licitum in Septimo Anno, illud quoque licitum est in Jobheleo.

§. X.

Ratione *Messis* hoc anno prohibita, hoc forte posset ori-
 ri dubium, licueritne illa, quæ Agri & Vineæ sine ulla cultura
 sponte protulerint, in proprium usum colligere possessoribus
 fundorum & agrorum? sed expresse occurritur huic dubio,
 quando omnis omnino *Messis*, eo scilicet, quo ordinarie fieri
 solet, modo, prohibita legitur, duoque peculiaria vocabula,
 ספירות & נזרים adhibentur, quorum illud in specie *Agros*,
 omniaque, quæ hoc anno, sive ex semine jam anno præce-
 dente sparso, sive ex granis ejusdem anni deciduis, sive ex ra-
 dicibus succis crescent, concernit, hoc vero *Vineas* tangit &
 Uvas, quas vites non cultæ sua sponte proferunt. Omnia hæc
 sponte nascentia, agri vel vineæ dominis nec metere, nec vin-
 demiare erat concessum: interim vero hi ipsi ab usu & esu eorun-
 dem non plane erant exclusi, modo fructibus hisce non, tan-
 quam proprio bono, soli uterentur, aliosque abigerent, sed po-
 tius, ut hi publice prostarent omnibus, & liberum accessum, li-
 beramque usurpationem servis, ancillis, mercenariis, inquilinis,
 peregrinis, imo bestiis ac jumentis concederent, idque juxta
 intentionem ipsius DEI, versibus 6. & 7. his verbis expressam:

וְהָיְתָה שֵׁבֶת הָאָרֶץ לְכֶם לְאֶכְלֹהּ לָהּ וְלַעֲבָדָהּ וְלַאֲמָתָהּ
 וְלַשְׂכִּירָהּ וְלַתּוֹשְׁבֵי הַנְּרִים עִמָּךְ: וְלַבְּהֵמָתָהּ וְלַחַיִּוּ אֲשֶׁר
 בְּאַרְצְךָ תְּהִיּוּ כֹל-תְבוֹאָתָהּ לְאִכְלוֹ: Et erit (fructus) Sab-

bathi ipsius terræ vobis ad comedendum, tibi & servo tuo, & ancilla
 tua, & mercenario tuo, & inquilino tuo, qui peregrinantur apud te.
 Et jumento tuo, & bestia, quæ est in terra tua, esto omnis proventus
 ejus ad comedendum. Quod enim homines edere vel nolebant,
 vel non poterant, id bestiis cedebat, ut fœnum, gramen, & his
 similia.

§. XI.

Tertium Jobhelei Anni *Privilegium* succedit consideran-
 dum, quod LIBERATIONEM seu MANUMISSIONEM

B 2

SERVO-

SERVORUM secum ferebat, qva concessum fuit Servis, tempore hoc servitium suum linquere, & ad familiam suam ac possessionem Patrum suorum reverti: qva de re sanctio divina loc.

cit. vers. 40. & 41. his habetur verbis: עַרְשֵׁנָה הַיָּבֵל יַעֲבֹד עִמָּךְ: וַיֵּצֵא מֵעִמְךָ הָיוֹת וּבְנֵי עִמּוֹ וְשֵׁב אֶל-מִשְׁפַּחְתּוֹ: וְאֶל-אַחֲרֵי אֲבוֹתָיו יָשׁוּבוּ: Usque ad Annum Jobhel serviet apud

te. Tunc egredietur a te, ipse, & filii ejus cum eo, & revertatur ad familiam suam, & ad possessionem patrum suorum revertatur. Equidem divina Majestas ita prospexerat servis, ut illis a Dominis suis nihil duri aut injusti metuendum facile fuerit, dum Israëlitis servitutem in aegypto duram revocavit in memoriam, sicque omnem duritiem erga servos exercendam prohibuit, hosque tanquam mercenarios & inquilinos habendos esse, jussit vers. 39. 42. 43. Qvam in rem Rabbini inprimis verba versus 40. יהוה ילקוט יחורה עמך במאכל עמך במשתה שלה תהנה אתה אוכל פרת נקייה והנה אוכל פרת הרראה אתה שותה יין ישן והוא שותה יין חדש אתה ישב על התכן: Sit tecum in cibo, tecum in potu, ita, ut tu non edas panem purum, ille edat panem furfuraceum, tu bibas vinum vetus, ille bibat vinum novum, tu cubes in lecto molli, ille cubet super stramine.

§. XII.

Qvamvis itaque Servi, rebus suis sic stantibus, non adeo magnam habuisse videantur causam, Dimissionem suam anxie desiderandi, nihilo tamen minus tam grata hæc illis fuit, ut appropinqvante Jobheleo, non exiguis lætitiæ signis gaudium suum manifestarent, genioque indulgerent, festa plectentes, & in signum libertatis appropinqvantis, ab omni opere cessantes, quod describit MAIMON. loc. cit. his verbis: מֵרֵאשִׁית הַשָּׁנָה עַד יוֹם הַכַּפּוּרִים לֹא הָיוּ עֹבְדִים נַפְטוּרִים לַבְּתוּלָה וְלֹא

ולא משתעבדים לאדניהם אלה עבדים אוכלים
 ושותים ושמתים ועטריתיהם בראשם כיון שהגיע
 יום הכפורים תקעו לרין דין בשופר נפטרו עבדים
 לכתיהם: *A principio anni ad diem usque expiationum, non sunt dimissi servi, neque interea tamen ipsi dominis suis servierunt, sed id potius egerunt, comederunt, biberunt & letati sunt, coronas suas in capitibus suis gestantes. Mox autem, cum dies expiationum appropinquasset, domus iudicii clauxit tuba, & servi liberi abierunt domum suam.*

§. XIII.

Notandum vero circa Manumissionem hanc est maxime, eadem non omnes omnino servos, sed tantum illos, qui ex gente Ebræa oriundi fuerant, gaudere potuisse, reliquis vero, ex Gentilitate emtis, & professione Ethnicis, servitutis jugum *לעולם omnibus diebus vita sua*, sustinendum fuisse, neque in hos beneficium hocce Jobhelei redundasse. De illorum dimissione nullum est dubium, horum vero detentionem aperte satis exprimere videntur versus 44. & 46. docentes, Emtores ejusmodi servorum, jure eos possedisse hereditario, & ad heredes transmississe. Ebræorum contra servorum tanta fuit prærogativa, ut non tantum soli pro se, sed etiam cum familiis suis libere exire potuerint. Quamvis enim nulla Uxoris expressa facta reperitur mentio, sine omni tamen dubio illa sub Marito suo comprehensâ fuit, cum *Liberi* nominentur, & quidem per vocem בני sub qua rursus non soli *Filii*, sed dubio procul etiam *Filia* intelligendæ fuerunt, sive in universum *Proles*. Ita interpretantur Ebræorum Magistri, quod per vocem הוּא ipse, simul *Uxor* significetur. תלמוד לומר הוּא ואשתו ובניו: *Doctrina est* (scilicet, vult scriptura) *dicere, ipse egredietur, & Uxor ejus & Liberi ejus*, monet JALKUT. Dum enim Annus hic unumquemque suæ restituebat familiæ, Uxori non minus favebat, quam Liberis, imo illam vel ideo cum Marito dimissam esse, probabile est, ne servus talis, ob Uxoris jacturam, ipsam plane libertatem respue-

ret. Tandem & *Ancillas* beneficio hoc Manumissionis gavisas esse, omni carere videtur dubio: res clara fit ex Deuteron. XV. 12.

§. XIV.

Ex haftenus adductis constat facile, in variis quidem Convenientiam inter *Jobheleum* Annum, & *Sabbathicum*, quovis septimo anno celebratum, reperiri, in nonnullis vero alterum ab altero differre. Convenientia horum Annorum consistebat in genere in eo, quod uterque insignia Misericordiae & Benignitatis divinae populo Israelitico exhibuerit monumenta. Hoc insuper utriusque commune fuit, quod neque Agri, neque Vineae coli debuerint, neque etiam Messis aut Vendemia, neque ulla ex arborum fructibus collectio fieri, sed potius, tam in agris, ex granis in praecedente messe forte delapsis, quam in vineis, sponte nascentia, communis essent juris, & a quocumque, non tamen excluso agri vel Vineae Domino, colligi potuerint. Disconvenientia tamen Annorum *Sabbathicorum* & *Jobheleorum*, non tantum ex majori horum solennitate praeter illis, elucescit, sed vel maxime ex eorundem praerogativis: dum Annus *Jobheleus* omnibus Servis, etiam subulatis, libere exeundi potestatem concesserit, Agrosque & Domos primis suis possessoribus restituerit, *Sabbathicus* non item. Verba saepius allegati MAIMONIDIS, & quidem ratione *Convenientiae* horum Annorum, supra §. IX. p. 10. sunt adducta: de *Disconvenientia* Idem haec habet:

ותורה שביעית על היובל שהשביעית משמטת
 כספם ולת יובל ויותר יובל על השביעית
 שהיובל מוציא עבדים ומשמיט קרקע יובל משמיט
 קרקע בתחלתו ושביעית אינה משמטת כספם אלא
 ; *Præstat Sabbathicus Jobheleo, quod Sabbathicus remittat debita, Jobhel non item: sed præstat Jobheleus Sabbathico, quod Jobhel liberos educit servos, & restituit fundos: & Jobhel quidem restituit fundos in principio anni, Sabbathicus autem non remittit debita, nisi in fine anni.*

anni. Unicum magni Philologi, JOH. CHRISTOPH. WAGENSEILII, testimonium addere liceat, quod habetur in Disput. de Anno Hebraeor. Jubil. §. 63. his verbis: *In hoc Annus Jubileus & annus Sabbathicus differunt, quod in Sabbathico anno debitorum contractorum fit remissio, qua in Jubileo minime obtinet. Contra in Jubileo anno servi libertatem consequuntur, & agri prioribus possessoribus cedunt, quod secus est in anno Sabbathico. Hoc quoque discrimen notandum, quod agrorum ad veteres dominos reversio, paulo post initium anni Jubilai conceditur, at debitorum remissio sub finem tantum Sabbathici anni locum invenit.*

§. XV.

Restat, ut de genuino celebrati Jobhelei TEMPORE adhuc simus solliciti, utrum nempe illud in Annum XLIX, an vero in *Quingagesimum* incidit? Mirum fane est, Philologos & Chronologos rem hanc, tam perspicue & clare in Lege divina determinatam, sine omni necessitate reddidisse dubiam & incertam, quando subtilem sibi finxerunt controversiam: Quomodo Annus Jobheleus fuerit numerandus, an a præcedente Jobheleo inclusive, an vero exclusive, *Quingagesimus* ab eodem Annus fuerit pro Jobheleo habitus: ita, ut si v. gr. Annus Jobheleus primus fuisset A. MDCC. hoc connumerato, alter Jobheleus in A. MDCCXLIX. an vero, excluso eodem, in Annum *Quingagesimum* incideret? Fundamentum decisionis controversiæ hujus omnino petendum videtur ex ipsa institutione divina supra jam allegata, Levit. cap. XXV. ubi summus Legislatur ipse mentem suam pro *Quingagesimo Anno* clarissime explicuit, quando non tantum vers. 10. dicit: וְקִדְשְׁתֶּם אֶת אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל לַיהוָה אֱלֹהֵיכֶם שְׁנַת הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה; Et sanctificabitur Annum *Quingagesimum*; sed & vers. 11. pergit. זִכְרָה הוּא שְׁנַת הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה לַיהוָה לָכֵן; Jobheleus ipse annus *Quingagesimus* erit vobis.

§. XVI.

Defendunt hanc sententiam Autores varii, & plurimi ex Patribus antiqvis, quos magno numero allegatos vide apud CAR. SIGONIUM de Republ. Ebraeor. Cap. XV. p. 213. in Not. Utriusque vero opinionis Patronos recensuit D. JOH. MEYER in Tract. de Tempor. & Fest. Dieb. Hebraeor. Cap. XVIII. §. V. pag. 343. ubi etiam §. VI. fatetur, se inter duas has sententias pependisse quidem dubium; interim posteriorem, tanquam probabiliorē, elegit, & ulterius defendit. Judæos Interpretes quod concernit, unanimi fere consensu hi pro *Quinquagesimo* militare deprehenduntur. Unum vel alterum præcipuorum Rabbiorum audiamus; R. SAL. ISAACIDES ad vers. 8. ita commentatur: **יעשה שבע שנים רצופות שמטה** : *Faciat septem annos continuos Sabbathicos, & faciat Jobheleum post eos.* Consentit R. LEVI BEN GERSON in פירוש התורה his verbis: **מונין חשע וערכעים שנה שהם שבע שנים שבע פעמים ואחר שנת השמטה שחיה בשביעי האחרון עושין יובל בשנת החמשים ושנת אחר וחמשים מתחילין למנות יובל אחר** : *Numerant annos XLIX, qui sunt septies septem anni, & post annum dimissionis, qui in ultimum Septenarium incidit, faciunt Jobheleum, anno Quinquagesimo. Anno Quinquagesimo primo vero initium faciunt numerandi Jobheleum sequentem: nec non MAIMON. clare satis scribens: שנת תשעה וערכעים שמטה ושנה* : *Annus XLIX. est Sabbathicus, & Annus Quinquagesimus est Jobheleus: & sic res habet in omnibus omnino Jobheleis.* Quæ testimonia docent, Ebraeos Anni Septimi numerationem non a *Quinquagesimo* inchoasse, sed a *Quinquagesimo primo*: ab hoc progressos, usque dum pervenerint ad *Quadragesimum & nonum*, hunc, quod septies septenus effēt, pro *Sabbathico*, *QUINQUAGESIMUM* autem, qui sequebatur, pro *JOBHELEO* celebrasse, ita tamen, ut hunc in septenorum numero non haberent. Militant pro hac sententia verba JOH. CONR. DIETERICI seq. *Exactis septem annis*

17
annis Sabbathicis, seu annis quadraginta novem, sequens annus, qui est
quingagesimus, erat Jubilæus. Antiquitat. Bibl. V. T. pag. 220.
Conf. FLAV. JOSEPH. Antiquitat. Jud. loc. supra cit. PAUL.
SLEVOGT. Disput. Academ. pag. 1008.

§. XVII.

Amplectimur & nos horum Auctorum sententiam, hoc
in primis nixi fundamento, quia Sacra Scriptura ipsa, in Locis
supra allegatis, non tantum duabus distinctis vicibus **שְׁנַיִם**
שְׁנַיִם הַרְמִשִּׁים QVINGAGESIMUM ANNUM nominavit,
& quidem cum **וְ** Emphatico seu Demonstrativo; sed etiam
clarissimis plane verbis hunc Annum a *Quadragesimo Nono*, sive
Sabbathico, distinxit, prout hoc, ex versibus 8 & 10. Cap. XXV.
jam adductis, elucescit. Numeratis enim XLIX. annis, nume-
randus erat annus *quingagesimus*, qui debebat esse *Jubilæus*,
vers. 9. & 10. quibus præcipitur clangor buccinæ, & sanctificatio
anni *quingagesimi*, in oppositione ad annum XLIX, versu 8. di-
stincte numeratum. Sicut autem annus XLIX. intelligi debet,
ut a primo incipiens, ita quoque annus L. a primo debet inci-
pere, nec includere præcedentem Jubilæum, ut quadragesimus
nonus hoc modo fiat quingagesimus: sicut verba JOH.
MEYERI Libr. cit. §. VIII. qui quoque in sequentibus §. §. pag.
344. & seqv. sententiam hanc amplius stabilire conatus est.
Majoris evidentia causa, ut pateat, nunquam eundem Jobhe-
leum & Sabbathicum fuisse annum, sed semper Septimum
quemque, sive ultimum *Sabbathicum*, excepisse festum *Jobhe-
leum*, sequentia adijcere liceat: Si v. gr. Annus MDCC. fuisset
Jobheleus, MDCCVII. esset Annus *Sabbathicus Primus*, MDCCXIV.
Secundus, MDCCXXI. *Tertius*, MDCCXXVIII. *Quartus*,
MDCCXXXV. *Quintus*, MDCCXLII. *Sextus*, MDCCXLIX.
Septimus, & sequens statim Annus MDCCCL. *Jobheleus*; & sic por-
ro, ita, ut tempore Jobhelei semper duo Anni Sancti conveni-
rent, agnoscente hoc R. SALOMONE his verbis: **בְּיִבְרָה**

נמצאו שתי שנים קרויות סמוכות זו לזו שנת ממו
שמטו

שְׁמִטָּה וּשְׁנַת הַחֲמִשִּׁים יוֹבֵלִי
 Tempore Jobhel duo inve-
 niuntur Anni sancti, continuo alter alterum sequentes: Annus Quadra-
 gesimus nonus, qui dicitur Intermisionis, vel Sabbathicus, & Annus
 Quinquagesimus, qui dicitur Jobhel.

§. XVIII.

Quo tandem Anni tempore Jobheleum fuerit promulga-
 tum, expresse quidem, quoad *Mensem & Diem*, verba institutio-
 nis determinant vers. 9. scilicet, בְּחֹדֶשׁ הַשְּׁבִיעִי בְּעֶשְׂרֵי לַחֹדֶשׁ
 : יוֹם הַכִּפּוּרִים *Mense Septimo, Decimo mensis istius Die, Die*
Expiationum, Tubam clangoris, seu Clangorem tubæ personare
 debuisse: interim & hic in diversas ivisse sententias deprehensi
 sunt Interpretes, dum alii hancce Jobhelei festivitatem in Men-
 sem תִּסְרִי *Tisri*, qui Septimus fuit a mense נִיסָן *Nisan*, alii con-
 tra, in ipsum Nisan, tanquam Septimum a Tisri mensē, po-
 nunt. Facile vero dissensus hujus origo detegi potest, si con-
 sideretur, duplicem apud Ebræos fuisse Anni computationem,
 unam, quæ *Vulgarem & Civilem*, alteram, quæ *Sacrum & Ecclesia-
 sticum* Annum. Computatione priori utebantur Jūdæi in rebus
 Civilibus, ejusque Anni mensis Primus erat *Tisri*, nostro
 Septembri respondens: altera vero obtinebat saltem in Sacris
 & Ecclesiasticis rebus, incipiebatque illius annus a mense *Nisan*,
 cum nostro Martio conveniente. Illi ergo, qui computatio-
 nem anni vulgaris seu civilis sequuntur, Jobhelei promulgatio-
 nem in mensē Nisan, anni ejus Septimum, ejusque diem deci-
 mum, collocant; alii vero, Annum Ecclesiasticum pro funda-
 mento ponentes, eandem mensi *Tisri*, anni illius Septimo, tri-
 buunt. Hæcque videtur communior sententia, quam etiam
 Celeberr. JOH. BUXTORPIUS tuetur, ita scribens: *Primus*
dies Novilunii Martii, principium est Festorum seu Mensium, juxta
quos dies festos numerabant: ut Pascha celebratur mense primo: festum
Tabernaculorum seprimo, Septembri nempe, & ita deinceps. --- Pri-
mus dies Novilunii Septembris, principium est Annorum. --- Pariter
quoque ab hoc mense numerarunt tempus Dimissionis seu Anni quietis,
 qui

qui septimus erat annus, quo agri & vinea eorum quiescebant. Principium item Jubilei, qui quinquagesimus erat annus; de quo Levitici cap. 25. agitur. Synagog. Jud. Cap. XVII. p. m. 385.

חתימה

Sed Ebraeorum Jobheleum linquimus, & instantis ACADEMICI nostri JOBHELEI memores, ad PATREM LUMINUM, largissimum illum veræ sapientiæ ac Eruditionis FONTEM, nos convertimus, ejusdemque ineffabilem Benignitatem ac clementiam supplices veneramur, quod Academiam nostram a primis suis incunabulis, per integra DUO SECULA, sub aliis gratiæ suæ clementissime protexerit, laboribusque ac studiis Docentium pariter, ac discipulorum, hætenus ita benedixerit, ut fructus inde non solum in Patriam nostram dulcissimam, sed in universum Christianum orbem, redundaverint innumeri. Foveat porro Benignissimum NUMEN Musarum hocce Domicilium, sub umbra alarum suarum, Privilegia ejusdem tueatur, novaque iis subinde incrementa largiatur. Senatam protegat, hujusque consiliis ex alto benedicat. Professores, aliosque Doctores, ac Magistros, vere pios & eruditos, Heliconi huic concedat, omnesque horum labores in commodum Juventutis dirigat; Mala in universum omnia ab alma hac Matre nostra, ACADEMIA, abesse, eandemque ad finem usque omnium Seculorum vigere ac florere jubeat.

יהוה חסדך יהוה עלינו כאשר יחלט לך

אמן

C 2

JOHAN-

JOHANNES BEHM, D.

h. t. ACAD. RECTOR,

JOHANNI BERNHARDO

Sahn,

MAGISTER. CANDIDATO DIGNISSIMO,

S. P. D.

Conscendis, Amice per dilecte, cathedram, quam antebag multoties & perorando & disputando adeo egregie ornasti, ut nonnisi maximo cum Auditorum adplausu, ac bonorum omnium gratulationibus, inde descenderis, novumque eruditionis, quam multo sudore ac pertinaci industria Tibi acquisivisti, specimen publice edere, sicque viam ad superiorem brevi conscendendam laudabili conatu sternere tentas. Conscendis, ut de argumento, & personae tuae, & tempori convenientissimo, disputes. Ebraicis hactenus a Parente Tuo Summe Reverendo ac Spectabili innutritus, Ebraica in deliciis habes, utque Te ea in succum & sanguinem convertisse demonstras, ex Ebraeorum Antiquitatibus materiam seligis; cumque haec, ut amantissimum, sic & amplissi-


amplissimum differendi campum Tibi aperiant, solam ta-
 men Jubilaei Judaeorum sollemnitatem curatius expendere,
 doctaque commentatione, e sacris paginis, ac Judaeorum mo-
 numentis collustrare volupe fuit, ut sic, tempori inserviando,
 auspiciatissimo diei imminenti jam, quo Albertina nostra
 DEO Conservatori suo per bina jam secula, quod immense
 & nunquam satis predicanda gratiae ejus tribuendum, Ju-
 bila, ut aequum ac pium, devoto pectore canenda meditatur,
 fausto omine, &, ut nomini Tuo respondeas, praecinas, eum-
 que adventare elata voce annuncies. Non possum, quin Te
 gratulatione mea votoque sincero comiter. Ipse enim,
 quanto Te, ob indefessam industriam, proficiendi in studiis
 ardorem, attentionem ad proposita, ac morum elegantiam,
 haetenus per plures annos, quibus lectionibus meis, theolo-
 gicis pariter ac graecis, sedulus interfuisti auditor, comple-
 xus sim amore, optime nosti. Gratulor proinde labores huc
 usque magna cum laude exantlatos, gratulor eruditionem,
 indefesso studio multoque sudore partam, gratulor honores,
 quos industria ac virtus Tua merentur, jam jam instantes.
 Gratulor vero etiam Parenti Tuo Summe Reverendo ac
 Excellentissimo filium paternarum virtutum exacte emu-
 lum, ut & spem de eo conceptam amplissimam, quam fru-
 straneam haudquaquam fore tanto certius auguror, quanto
 plura jam evidentissima illius specimina Te dedisse recor-
 dor.

dor. *Votum subnecto ardentissimum, velit DEUS & in posterum sua Tibi adesse gratia, dona collata adaugere, cunctisque laboribus ac studiis abunde benedicere, quo Academia, Ecclesia, Patria, Amplissimaque familia inde fructus uberrimos, ut & novam semper de Te letandi occasionem nanciscantur.* *Vive Numine propitio sospes, fortunatus, meique memor-* Dabam Regiomonti, Quint. Cal.


Aug. Anno MDCCXLIV. Academia

Seculari II.














Sed cum religione Iudaica res prorsus aliter habet. Quis sub Patriarchis, eorumque numerosa prole egit radivnuquam calamitates propterea a Deo populo Iudaeotae, vt Profelytorum maior numerus Iudaismo adiaceinde neutiquam tam diuturna Christianorum vexatio quidem Iudaeorum. Illa per tria tantummodo secula Christi gregem adfixit; deinde ipsorum fides, euictisimine ac splendore suo totum terrarum collustravit. In haec contra calamitas non tria secula sed per grande sui spatium iam perstitit, neque vlla spes mitioris fati

§. VII.

inimam impono huic qualicunq; scriptioni, summum precibus, vt excoecatam Iudaeorum mentem Iesu Christo per spiritum sanctum ad lucem veritatis tuo, pariete intergerino per sospitorem nostrum subudaei, suus olim populus, tum nos insititii huius oleano spiritu, vna mente, vnoque ore, ipsum colamus, celebremus. Deo trino sit laus, honor et gloria in primum. Amen.

Epilogus et preces pro Iudaeis ad Deum fusae.

CLA-

VTIVS quidam conscripsit librum de Iudaeo Chrificida, re peccante et vapulante; allegatum hoc scriptum in GII L' Historie des Iuifs T. IV. c. 1. §. XI. p. 926. edit. am. inueni.

